



Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus XXII. De obligatione testium Judici interroganti respondendi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

in tali autem teste, ut suppono, nulla intervenit promissio, nullaque conventio; adeoque ex justitia non obligabitur.

justitiæ, sed duntaxat obedientiæ; consequenter peccat contra obedientiam, non contra justitiam. Quare si nolit jurare, aut respondere, puniri quidem potest tanquam inobediens, sed non tenetur ad restitutionem, seu reparationem damni reo secuti.

133 Hinc sequitur, testem non teneri ex justitia respondere, aut jurare, se dicturum veritatem, dum interrogatur à Judice; nam Judex non imponit ipsi obligationem ju-

CASUS XXII.

De obligatione testium Judici interroganti respondendi.

Titius nocturno tempore occidit inimicum suum, cui comes erat Cajus, non tamen homicidii complex, jurat nihilominus Cajus Titio, se patratum homicidium non proditurum, quod cum postea innotuisset Judici, in ejus authorem inquirat.

QUÆRITUR, utrum Cajus interroganti Judici non obstante juramento, veritatem aperire possit, vel debeat?

134 **M**ultiplex in posito casu potest esse quæstio. Primò. Cum crimen est occultum, & nulla adlunt indicia publica, sed suspicio duntaxat patrati criminis,

Secundò. Cum de crimine certò constat esse patratum, ut in casu posito de homicidio, eò quòd manè repertum sit cadaver in platea: Unde Judex ex officio vult recipere de vicinis informationes, &

R. P. Leonardelli Soc. Jes.

quæritur, an, si ipsi sciant authorem delicti, teneantur interroganti respondere, & de eo testari?

Tertiò. Si non solùm de crimine certò constet, sed etiam reus infamiâ laboret tanquam à se patratum delictum, cum de eo dentur præsumptiones tam vehementes, quæ faciant semiplenam aliquam probationem, quo casu quæritur, an Cajus teneatur interrogatus à Judice testimonium dare, T si sciat

si sciat nullum alium scire illud delictum præter se, maximè si iuramentum accessit, factum de non prodendo Titio? Unde

135 Ad 1. Q. R. si crimen occultum sit, ut nulla publica indicia adsint, non tenetur interrogatus à Judice testificari de altero, & patefacere criminofum occultum, qui nullâ criminis infamiâ laborat, etsi sibi cognitum sit delictum ab eo fuisse commissum. Ita D. Th. q. 69. a. 2. Cajetan. eod. a. 2. Navar. cap. inter verba Concl. 6. n. 21. Sotus de regend. & re-regend. secret. membr. 2. q. 6. Less. l. 2. c. 29. dubit. 13. aliique communitur, & colligitur ex cap. qualiter, & quando. 2. de accusationib. Ratio est, quia id, de quo nulla adhuc est fama, censetur occultum, dum via inquisitionis proceditur: atqui Judicis potestas non se extendit ad elicienda occulta, cum maxima inde in Republica sequerentur incommoda; ipseque criminofus, quamdiu crimen est occultum, retinet adhuc justam famæ possessionem, qua absque injuria privari non potest: Unde etiam si sub iuramento præcipiat, ut dicas veritatem de eo, quod nosti, attamen non teneris, sed potes cum restrictione mentali dicere, te nescire quidquam; intelligendo tacitè, te nescire eo modo, ut tenearis patefacere, prout cum aliis notat Less. citt. cum tunc non tantum non tenearis, sed pecces manifestando, quando agi-

tur de sola punitione; & nulla præcedit infamia: imò si crimen nullo modo probari potest, illudque aperias, delinquis etiam contra justitiam, ut probat Less. l. c. quia nullum jus habes illius patefaciendi, cum enim probari non possit, nequit etiam puniri, ac proinde non potest ex ejus revelatione aliud sequi, quàm infamia: intellige tamen semper, nisi aliud quod grave malum spirituale, vel temporale alicui inde impendeat, quod commodè averti non possit, nisi Superioris auctoritate, & operâ; tunc enim non est ratio famæ habenda.

Ad 2. Q. An testis teneatur re- 136
spondere, si Judex interroget, quando crimen est notorium, sed ignoratur author illius? Non nulli negant cum Soto l. c. dubit. 4. Adrian. quodlib. 111. Palud. putantes tunc dundaxat per inquisitionem procedendum esse, quando de authore est fama, vel certa indicia, C. cum oporteat. 19. de accusation. cap. Inquisitionis. 21. & cap. cirt. qualiter, & quando 24. eod.

Oppositum tamen meritò docent alii DD. cum Sylv. V. correptio, n. 6. Navar. cap. inter verba cirt. n. 15. Less. l. c. dubit. 14. Innocent. in cap. Bone, 1. de elect. n. 5. Malder. Valent. Panormitan. Imola, &c. posse nempe Judicem generaliter inquirere de commisso delicto; quia si Judex non possit
pro-

procedere inquirendo generaliter super aliquo delicto, manerent sæpe impunita crimina non sine scandalo subditorum; neque potest quis conqueri, per hanc generalem inquisitionem sibi injuriam irrogatam esse: imò illam tota Respubl. desiderat, & praxis Tribunalium ita habet. Nec obstant cirt. Canones; nam hi loquuntur de inquisitione speciali, qua inquiritur, an Petrus, v. g. vel Paulus homicidium commiserit, quod utique non licet Judici, ut docet communis DD. & colligitur ex Canonibus supradictis. Nec obest, si dicas, talem inquisitionem præbere occasionem crimina occulta revelandi contra ordinem charitatis, & Justitiæ;

Nam, ut notat Less. si occulta crimina detegantur, id non provenire ex ipsa conditione interrogationis, sed ex imperitia eorum, qui interrogantur, qui nescientes jura & legem Evangelicam putant se teneri occulta pandere Judici interroganti: Verum propter tale incommodum per accidens proveniens non debet omitti inquisitio tantopere bono publico necessaria ad purgendam Rempubl. moresque reformandos, maxime cum per talem inquisitionem nulli fiat injuria, cum de nemine in particulari fiat inquisitio.

137 Sed difficultas est, an in tali casu testis, qui scit authorem deli-

cti, teneatur illum manifestare Judici interroganti in genere per modum inquisitionis generalis? Ubi. Affirmant non nulli cum Aragon. Valerio, Miranda; quia Judex in posito casu jus habet procedendi propter bonum commune conservandum, & jus habet testes interrogandi, qui proin propter bonum commune conservandum interrogati tenentur veritatem dicere, & occultum reum revelare.

Oppositum tamen, si author criminis non laboret infamiâ, docent alii communiter cum & apud Lessium l. 2. cap. 30. dub. 6. ubi in aliquibus casibus asserit obligationem testandi; in aliquibus negat.

Testificari tenetur subditus. *Primò.* Si author criminis laboret infamiâ delicti, vel si infamiâ non laboret, attamen ex tali delicto sequeretur grave damnum bono publico, ut si crimen sit perniciosum, v. g. veneficium, vel aliud, quod alia ratione, quam per Judicem averti nequit, quo casu etiam absque præcepto Judicis aliquis obligaretur denuntiare, vel testari.

Secundò. Si grave malum impendeat alicui privato innocenti, quod aliter nequeat impediri; nam tunc etiam charitas obligat ad denun-

riandum, vel testandum, & Judex habet auctoritatem præcipiendi.

Tertiò. Si de authore delicti sit semiplenè probatum; quia tunc delictum jam incipit esse publicum, non minus quàm per infamiam: ergò si positâ infamiâ Rei tenetur testis testimonium perhibere, etiam tenetur posita semiplena probatione; tunc enim cessat ratio, cur possit excusari, nempe infamia Rei de crimine occulto. Quibus in casibus tenetur testis legitimo superiori legitime, & juridicè interroganti parere, ut tenet communis cum S. Th. 2. 2. q. 7. a. 1. apud Laym. l. 13. rr. 6. c. 8. Econtra multis in casibus negat, teneri aliquem denunciare, vel esse testem alterius delicti, & primò quidem si nosti ex Confessione Sacramentali.

Secundò. Si delictum alicui sub secreto patefactum est consilii, vel auxilii petendi gratia ad salutem animæ, vel corporis miseri delinquentis; tunc enim non potest quis denunciare, vel suo testimonio confirmare, etiamsi de authore esset infamia, vel semiplena probatio. Rationem dat, quia non debet misero homini obesse, quòd consilii, vel auxilii petendi gratiâ se alteri bona fide patefecerit: alioquin peccatores à consilio petendo averterentur: unde multa mala sequi possent.

Tertiò. Si author criminis non laboret infamiâ, nec timeatur damnum in futurum; tunc enim non tenetur quis denunciare, neque testari contra eum, quando proceditur per inquisitionem generalem, etiamsi non solus sciat, sed etiam duo, vel tres alii, ita, inquit, communis ferè sententia DD. qui docent, Judicem non posse tunc inquirere, vel si potest inquirere, (quod est probabilius, ut patet ex dictis, & ita de facto habet praxis) id non esse ex eo, quòd jurisdictionem habeat in authorem occultum criminis, sed ut satisfaciât Reipublicæ, quæ postulat, ut fiat diligens inquisitio, ut malefactores timeant, & compescantur, non tamen postulat, ut in hoc casu revelentur: Et licèt talis inquisitio, inquit Lug. non possit fieri de delinquente non infamato, servit tamen ad hoc, ut manifestentur, si qui sunt infamati.

Quartò. Non teneris denunciare, vel testificari, si ex denuntiatione, vel testificatione notabile damnum tibi, tuisve imminet; quia hæc officia præstare non tenemur cum nostro damno, nisi bonum publicum id necessariò postulet, ut notant etiam Navar. cap. 25. n. 50. & Covar. qq. pract. c. 18.

Ad 3. Q. Quando non solum 138
de

de crimine certò constat, sed in-
super Titius laborat infamiâ tan-
quam à se patratum homicidium,
vel quia contra ipsum procedit
via accusationis, an si testis
videat homicidium probari non
posse, eò quòd vel ipse solus sciat,
vel etiam simul accusator, teneat-
ur testari, maximè si accessit ju-
rumentum de non prodendo Ti-
tio?

Respondent complures cum
Soto l. 5. q. 7. a. 1. Azor l. 13. c.
27. dub. 2. Panormitan. Turrian.
Sancio, Molina, quando testis le-
gitimè, & juridicè interrogatur
à Judice, eum respondere debe-
re, & teneri veritatem aperire
non obstante promissione quam-
vis jurata, quam fecit reo non
prodendi ejus crimen. Ratio
est, quia privatorum pactis juri
publico præjudicari non potest;
est autem juris publici, ut testes
examinentur de criminibus, quo-
rum infamiâ reus laborat; nec
juramentum obligat, cum ver-
satur circa objectum malum, si-
ve rem illicitam; Judici autem
juridicè interroganti veritatem
negare, vel non aperire est il-
licitum. Excipiunt tamen, nisi
notitiam criminis acceperit ex
sola depositione secreti, prout
suprà ex Less. notavi, & docet
S. Thom. nam obligatio secreti
servandi est de jure naturali;
Judex autem, & quivis Supe-
rior non potest tollere jus natu-

rale; quare interrogando de cri-
mine non vult, nec potest vel-
le, ut testis aperiat, si in secre-
to accepit eum sponsione reti-
cendi. Unde à Judice quamvis
sub juramento interrogatus ne-
gare debet sibi crimen cognitum
esse, ea scilicet cognitione, qua
prodere possit, ac debeat, nisi
fortè crimen sit perniciosum in
futurum, ut veneficium, con-
ceptum propositum prodendi pa-
triam, hominem occidendi &c.
tunc enim fides data reticendi
cederet in injuriam, & perniciem
Reipubl. vel privatae personæ in-
nocentis, proinde non obligatur,
si quidem in malis promissis fides
reservanda non est.

Nihilominus contra Molinam, 139
& alios eitt. obligantes testem à
Judice legitimè interrogatum ad
veritatem aperiendam, oppositum
docet de la Crux in director. con-
scient. par. 1. pr. 8. n. 4. ubi sic
asserit: Si accusator habeat so-
lum unum testem, iste, dum
sibi non constat de alio conte-
ste, tenetur sub peccato morta-
li dicere, se nihil scire, citatque
pro se Ledesm. Bannez & alios,
quibus accedit Diana p. 3. rr. 5.
R. 100. qui hanc opinionem pu-
tat esse probabilem, licet affirma-
tivam dicat esse probabiliorem.
Rationem dat; quia cum testis
sciat neminem alium illud deli-
ctum à reo patratum scire, ejus
testificatio nihil proficiet, nisi ad

vexandum reum, qui ex ejus depositione posset quidem torqueri, condemnari tamen non potest, quia unus testis non facit plenam probationem, etiamsi unà cum teste existat accusator, utpote qui in jure non admittitur ut testis: Igitur absque causa infamat tunc testis deliquentem, cum sciat ipse probandum non esse delictum. Id ipsum sentit Octav. Spatarius, in *praxi de modo corrig. Regul. tr. 7. c. 8. n. 7.* ubi post alia addit: Et ego aliquando interrogatus sub præcepto, & juramento super delicto, quod sciebam nullum alium nosse, nisi denuntiantem, nunquam testificari volui, etsi de vili, & certa scientia potuissem, quod tutâ conscientia fecisse reputavi, & reputo.

Tertia opinio, quam cum aliis tenent Less. l. 2. c. 30. dub. 6. *citt.* Villalabos, tom. 2. tr. 17. *diffic. 1.* Pitigianus in *praxi criminali c. 3. fol. 166.* asserit, posse testem in tali casu, cum proceditur via accusationis, testari, si velit, sed non teneri. Rationem dat Less. quia quando solus accusator, & unicus alius crimen novit, accusator non potest tunc accusare, nisi fortè id necessarium fuerit ad malum impediendum, cum nequeat satis probare, nec ad condemnandum reum sufficiat accusator,

vel quod vicem accusatoris supplet, hoc est, publica fama unà cum uno teste, sed requiruntur duo testes jurati præter accusatorem, vel præter id, quod supplet vices accusatoris, omni exceptione majores; potest tamen testis testari si velit, posita accusatione, quia testando efficiet semiplenam probationem, poteritque Judex ex officio procedere contra reum, eum subijciendo quæstionibus, & torturæ; expedit enim bono publico ad malefactores coercendos, ut quisvis, supposita accusatione, vel aliis iudiciis possit de crimine testari.

Et hæc sententia, secluso juramento, magis placet; quæ confirmari potest ex Sylvest. & Diana *part. 2. tr. 15. R. 63.* quia quando duplex datur opinio, quarum una dicit, debere testem legitime interrogatum veritatem aperire, etsi solus sciat, supposita accusatione; & alia negat id fieri posse, potest testis amplecti, quam voluerit: Unde sequitur posse tunc testem vel manifestare, vel occultare veritatem, si sciat, utramque opinionem esse probabilem, prout docet etiam Turrian, & alii.

Ex dictis collig. 1. Cajum in 140 nostro casu propter juramentum Titio factum se non revelaturum

rum homicidium, non propterea deobligari, quò minus veritatem aperiat Judici legitime interroganti, quod tunc fit, ut notat S. Th. 1. Quando Judex est competens. 2. Si delictum Titii sit semiplenè probatum, vel per aliquem testem de visu, vel per indicia testi æquivalentia, vel per infamiam delicti plenè probatam per duos ad minimum testes jurantes se audivisse à pluribus personis fide dignis homicidium fuisse à Titio perpetratum; quibus positis Cajus quantumvis putaverit homicidium esse occultum, tenebitur interrogatus testari contra Titium non obstante juramento; quia, ut supra dictum est, juramentum tandiu obligat, quamdiu non versatur circa rem illicitam; Judici autem legitime interroganti veritatem negare, vel non aperire est illicitum. Si tamen Cajus sciat, aut existimet sibi soli notum esse homicidium à Titio commissum, nec ab alio posse probari, non tenebitur testari contra Titium, quantumvis aliquà infamiâ laboret, vel indicia existant, & præsumptiones contra Titium, ut colligitur ex dictis: imò non tantum non tenebitur, sed etiam non poterit testari ob reverentiam juramenti, quod cum absque injuria Creatoris servari possit, debet servari; licet enim Judex præ-

viâ aliquà infamiâ legitime interroget Cajum, quia tamen Cajus scit, aut arbitratur, neminem alium præter se illud homicidium scire, consequenter nec posse plenè probari, poterit, imò propter juramentum factum debet non revelare homicidium à Titio commissum, quantumvis Judex sub juramento etiam interroget; nam supposita opinione probabili Cajum non obligari testari contra Titium, & supposito juramento, quod Cajus fecit Titio, se crimen non proditurum, Judex non potest sub juramento Cajum obligare, ut testetur, & crimen occultum, quod scit probari non posse, prodatur, sed tanquam si eo casu non esset superior, ejus interrogationem eludere poterit convenienti aliqua mentis restrictione.

Collig. 2. Testem non obligari testificari, si dubitet, an Judex juridicè seu juris ordine servato interroget; nam licet in dubio parendum sit Superiori, ubi manifestè peccatum non apparet, & constat, eum habere auctoritatem obligandi; in hoc tamen speciali casu, cum dubium est de potestate Judicis, non tenetur testis obedire; nam ut notat Less. l. c. cap. 31. dub. 3. cum Cajetan. Soto, & aliis, nemo tenetur parere superiori cum gravi suo, vel alterius incommodo, nisi constet, eum legitime

legitimè præcipere, & habere auctoritatem obligandi; Judex enim non habet à Republ. potestatem interrogandi via inquisitionis prohibitu, sed interrogandi in certis casibus, nimirum si detur aliunde semiplena probatio, vel indicia vehementia, &c.

Collig. 3. Etsi Judex legitimè interroget circa factum, posse testem, & reum negare, quando Judex procedit ex falsa præsumptione delicti, ut si interroget, an talis exierit ex hac, vel illa domo stricto gladio, poterit testis negare, etsi sciat, probatum hoc esse semiplena probatione, quando reus exiit quidem non tamen commisso à se homicidio, sed ob aliam causam. Item si interroget de facto, quod absque culpa patratum est, ut si ex ignorantia hominem occidisti, aut causâ necessariæ defensionis, aut rem alienam abstulisti causâ justæ compensationis &c. ubi non teneris fateri te occidisse, abstulisse, &c.

etsi de te sparsa sit infamia, nec testis tenetur illud testari; nam Judicis interrogatio procedet ex præsumptione commissæ culpæ, seu de occisione criminosa, secundum quam Judicis intentionem rectè negas, factum, v. g. Titii, tibi cognitum esse, sicut & ipse Titius eodem sensu negare potest, etiam juratus, sicut ex communi docent Laym. l. 3. ff. 6. cap. 4. & Lefl. l. c.

Collig. 4. Quoties quispiam à cujusvis debiti obligatione liber est, posse rogatum à Judice de illo, id negare intelligendo intra se, ut debeat; quia respondet ad debitam mentem Judicis interrogantis. Qua ratione qui nummos mutuo acceptos solvit, potest à Judice interrogatus de mutuo, jurare se illud non accepisse, intelligendo ita, ut teneatur illud rursus solvere, prout docent Covar. l. 1. var. c. 2. n. 4. Suarez l. 3. cap. 9. n. 6. Azor, & alii.

